PS. AMALARIUS METENSIS

2. Hälfte 12. Jh.



Quelle: https://manuscripta.at/?ID=36522
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

rando ut apostolus inquit. Honore inui-
cem preuenientes. Omnis substantia que
deus non est creatura est. et que creatura est deus
non est. Crux christi ante me est posita. christum
quasi pendentem in ea mente teneo. Ip-
sa uerba nostre deprecationis demonstrant
quem adoramus. Dicimus crucem tuam adora-
mus domine. et sanctam resurrectionem tuam lau-
damus et glorificamus. Hic non sunt uerba predi-
cationis sed ostentationis adorande crucis et
glorificande resurrectionis domini. Sed in
alio loco solemus dicere. Deus qui unigeni-
ti filii tui domini nostri ihesu christi precioso san-
guine humanum genus redimere dignatus
es. concede propicius ut qui ad adorandam
uiuificam crucem adueniunt a peccatorum suorum
nexibus liberentur. Quem deprecor ipsum adoro
prosternor corpore ante crucem. mente an-
te deum. ueneror crucem per quam redemptus
sum. sed illum deprecor qui redemit. De qua
adoratione scriptum est in hystoria tri-
pertita libro primo. Hoc enim signum bellicum
in Italia preciosum erat. eo quod imperatorem
precederet et adorari illud a militibus
moris esset. Item in eodem opere libro secundo.
Audiui enim et probianum uirum in palatio
habentem milia medicorum crudeli poda-
gre passione detentum. ibi doloribus li-
beratum. eique apparuisse sanctam mirabi-
liter uisionem. Cum enim dudum paganus esset.
factus postea christianus aliquatenus dog-
ma sequebatur totius uere salutis causam.
idem sacratissimam crucem uolebat adora-
re. Hanc habendi sententiam diuina
uirtus apparens signum monstrauit
crucis quod erat positum in altario eius
ecclesie et aperte palam fecit. quia ex quo

crucifixus est christus omnia que ad utili-
tatem humani generis facta sunt quolibet
modo preter uirtutem adorande crucis a-
gesta non essent. neque ab angelis sanctis neque
ab hominibus.

Fuerunt quidam qui uolebant dice-
re se uelle eandem crucem uenerari.
in qua crucifixus est dominus. utinam in
omnibus ecclesiis haberetur pre ceteris me-
rito ueneraretur. Quam uis omnis ecclesia
non eam possit habere. tamen non deest eis uirtus
sancte crucis in eis crucibus que ad simili-
tudinem dominice crucis facte sunt. Sic le-
gitur in libro hystorie anglorum de Osual-
do rege fideli et christianissimo qui in
periculo positus subito fecit crucem et
fixit in terram. eaque adorata accepit uic-
toriam. Sic enim scriptum est in memorato
libro tercio titulo secundo. Ostenditur
autem usque hodie et in magna ueneratio-
ne habetur locus ille ubi uenturus ad
hanc pugnam Osualdus signum sancte crucis erexit.
ac flexis genibus deum deprecatus est ut in
tanta rerum necessitate suis cultoribus
celesti succurreret auxilio. Denique
fertur quia facta citato opere cruce ac fo-
uea facta in qua statui deberet. ip-
se fide feruens hanc arripuerit ac
fouee imposuerit atque utraque manu
erectam tenuerit. donec aggesto a mi-
litibus puluere terre figeretur. Et hoc
facto elata in altum uoce cuncto ex-
ercitui proclamauerit. Flectamus omnes
genua. et deum omnipotentem uiuum ac uerum
in commune deprecemur ut nos ab hoste
superbo ac feroce sua miseratione de-
fendat. Scit enim ipse quia iuste pro salute